MELCHIORIS GVILANDINI, DE PROSPERO EX AEGYPTO AVTORIS IN PATRIAM REDITV CONGRATVLATIO.

In qua obiter multa quæ in itinere acciderunt, præfationis loco habentur.

GVILANDINVS.

RATVLOR summopere Alpine te ex Aegypto tandem incolumen Patauium redijsse, quandoquidem maximum esse existimem, hominem multas, quas longissima itinera ferunt, molestias, crebrioraque & grandiora simul pericula à varia illiusce gentis barbarie sibi sæpe oblata, superasse, in patriamq; saluum omnino reuersum esse. Quem tuum reditum difficilem reddebant variæ Aegypti locorum naturæ, cœliq; calores, quibus nostra corpora diuerso assueta cœlo, multum alterantur, atque læduntur. Quamobrem gaudeo maximopere, atque iterum gaudeo, quod nunc te saluum ad nos denuo contuleris, mihiq; ita hilarem te nunc obtuleris.

ALPIN. Atque ego etiam ingenti gaudio perfundor, quod te virum doctissimum, vniuersis literarum professoribus, & principibus multis excellentis tuæ doctrinæ causa acceptissimum, inuenerim in hac præclarissima studiorum urbe, optima valetudine tuis studijs viuere, præ gaudioq; tanti tui boni, & præ voluptate vix quid loquar scio. Gratias etiam maiores, quas possum tibi nunc ago, quod ex meo reditu tantum gaudij, ac voluptatis acceperis, mihiq; tantum tribueris, quem in tua potestate esse, quicumque sim, tibi persuadeas volo. GVILAND. Tibi non minus multas

gratias agere debeo pro tua istac humanitate. Iter uero arduum, & periculis plenum te olim suscepisse existimo. Sed cur in Aegyptũ te conferre volueris tantisq; illis te exponere periculis, libenter audirem. ALPIN. Ego ferè vsque à pueris huius semper fui sententiæ, neminem posse perfectum esse medicum, qui varias regiones, & loca non peragrauerit, diuersosque hominum mores non obseruauerit, atque hoc pace illorum dixerim, qui instar vrbium nunquam nidos suos deserunt, neque ab his latum vnguem recedere audent. Variæ etenim regiones varios tum morbos patiuntur, tum medicinas ferunt ad eos persanandos accommodatas, atque etiam varij medendi vsus in varijs obseruantur locis, quorum obseruatione medicus fit prudẽtior, & doctior, qua sententia adductus sum, vt si in arte medica cuperem aliquid proficere, orbis partem aliquam peragrarem, aliosq; morbos in alijs familiares locis, & varias medicinas ac plantas, quæ ibi nascerentur, & diuersos vsus medendi, penes diuersas nationes vsitatos obseruarem, atque cognoscerem. Cum itaque publice medicinam facerem in proximo Oppido C. S. Petri, aliquo remotius abeundum existimaui, atque in hac sententia multum perstiti, sed quorsum versus proficisci præstaret, id uero ignorabam. Quo quidem tempore mihi Deus Opt. Max. optatissimam occasionẽ præbuit, vt in Aegyptum proficiscerer medicus cum Clarissimo Georgio Hemo, qui illlo tempore à Serenissima fœlicissimaque Veneta Republica Consul in ea prouincia fuerat electus. Adhoc iter etiam me multum hortatus est, Franciscus Alpinus Medicus paterq; meus carissimus. Tandemq; in eam veni sententiam, ut mihi facile foret ex animi mei sententia illuc proficisci. Itaque accepi conditionem, meque tunc ad iter hilari animo paraui.

GVILAND. Quoniam virtus laudata crescit, non pudebit me hoc vel te presente dicere, auctum iri vehementer tuorum studiorum peritiam ac laudem, ob hanc tui animi non vulgarem nobilitatem, qua hanc peregrinationem sciendi gratia suscipere, ita probè in animum induxeris. Sed his omissis, cuperem tuum nunc iter audire, & quo tempore ipsum inceperis, quaque sorte etiam eo fueris usus; omnes siquidem longa itinera conficientes, multos labores patiuntur, & multa subeunt pericula, quæ postea alijs narrent. ALPIN. ANNO à Virginis beatissimę partu MDLXXX. Septembri mense die xxj. eam, quæ Peccatora appellatur, nauim

con-

conſcendi unà cum Georgio Hemo Conſule deſignato pro Cayro Aegypti, viro ſanè pro ſua ipſius humanitate, animiq; integritate Clariſſimo: quique in Conſulatu ita ſe geſſit, ut cuique cariſſimus fuerit, & illius diſceſſum ab Aegypto non modo Veneti mercatores, ſed vel ipſi Aegyptij ægre tuliſſe, atque adeo luxiſſe viſi ſint. Itaque datis uelis Zacynthum ſecundis uentis paucis diebus peruenimus, portumque ingreſsi ſumus. Vnde digreſsis non ita ex voto reliqua nauigatio ſucceſsit, quandoquidem paulo poſt ita ualidis procellis tempeſtatibusque agitari, turbarique cæpimus, ut facile dixiſſes nobis eueniſſe, quod Ouidius cecinit:

„ Nauita ſollicitus quoque ventos horret iniquos
„ Et propè tam lethum, quam propè cernit aquam:
„ Quod ſi concuſſas Triton exaſperat undas,
„ Qui tibi nunc toto eſt, nullus in ore color.
„ Tum fœcunda uoces generoſa ſydera Ledæ
„ Et fœlix dicas, quem ſua terra tenet.

Cœpit enim ea nocte, quę eſt ante diem decimum ſeptimum menſis Octobris, quem diem omnes nautæ ſtellarem, vt ita dicam appellant, ventus Helleſpõtius ita aduerſo impetu tempeſtuoſe perflare, vt coacti fuerint nautæ proram obuoluere: Qui timentes ab Africis uentis, qui eo temporis flare ſolent, creberrimis, grandioribusque procellis mare uerrentes, ne nauis in ſolum ab his abduceretur, naufragiumque fieret, per eoſdem Africos uentos iter ſuum direxerunt: quo ſanè ita directo itinere, nauis in uaſtiſsimũ mare ab Helleſpontio vento, quem nautarum vulgus Græcum Orientalem appellat, raptim, & ingenti impetu ferebatur, ita, ut a terra magis magisq; ipſa elongaretur. Noſtrum uero nos iudicium fefellit, quod ſperabamus eum obortum uentum citò caſurum, ab eoque rurſum noſtrum iter, quod per circium uentum fuerat, breui tempore nos eſſe recepturos, ſiquidem prior ille ventus non adeo citò ceſſauit, quin potius tanta tempeſtate ac furore perauctus eſt, & nobis ita ſæue minari cępit, ut coacti fuerimus nauim uelis nudatam mari committere, & temere ab illorum inſano impetu interitum noſtris oculis millies in hora minantium expectare, atq; ab his abſque vllo regimine in uaſtiſsimo pelago alternis undis ad libitum agitari. Atque hæc horrida tempeſtas ad diem uſque vigeſimum ſecundum protendebatur, tanto omnium timore, ut nemo eſſet, qui de ſalute ſua ſperauerit quicquam. no-

ſtram

ſtram aliquantulum demulcebāt miſeriam illa Lucretij Carmina:

„ Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat,

„ Nec vitari lethum pote quin obeamus.

Placuit tamen miſericordi Deo, ne ab ea tempeſtate interiremus; vt fortaſsè ad aliquam rem etiam viueremus: Cui quas poſſum maiores nunc gratias ago, ac perpetuo referam; qui me ſua clementia ac pietate ex tanto periculo incolumen ſeruauerit. Die vero vigeſimo ſecundo menſis Octobris aurora luceſcente, ad Corcyrę locum eum peruenimus, quem Fanò appellant, ventis omnino ſedatis. Et paulo poſt Zephiris placide ſpirantibus inſulæ fretum ingreſſi ſumus ſumma omnium cum voluptate ac gaudio, atque Merleras appellatum portum tenuimus: ab eoque altera die ſummo mane alium in portū peruenimus, a primo parum diſtantem, atque ab eo Corcyram. In qua per diem moram traximus. Poſtridieq; Septentrionali exorto vento, ab eius portu digreſſi ſumus, quo ceſſante non multo poſt ad portum, qui eſt apud Gomenizzas acceſſimus. aduerſis vero noſtræ nauigationi ventis diu perſeuerantibus, & largiſſimis adhuc pluuijs, magnisq; imbribus, detenti, quibus quidem Corcyrę inſulę ſitus ſex quotannis menſibus obruitur, atque alijs ſex ſiccitate exhauritur, coacti ſumus in Corcyræ portum confugere, & ſaluti noſtræ conſulere. Vbi uſque ad natiuitatem Domini permanſimus, cuius diei feſtiuitate deuote ſeruata, altera die orto Sole, triremis auxilio noſtra naui è portu deducta, vela ventis dedimus, eodemq; die Paxò vidimus. Alteraq; die Aparctia vento impetuoſe ſpirante, ſub aurora Zacynthum rurſum vidimus, portumque illum cum magna omnium eam vrbem accolentium admiratione, quod accolæ cæterique omnes ex proxima tempeſtate nos interijſſe ſibi firmiter perſuaſerint. Zacynthi vero toto Ianuario menſe commorati ſumus. Dieq; ſequentis menſis tertia ab eo portu diſceſſimus, meliorique fortuna iter noſtrum recepimus, ac per diem ante cinerem in portum Sudæ fortiſsimum Cretæ inſulæ propugnaculum peruenimus, vbi peractis quinque diebus, portum Fraſchiam uocatum, qui ab vrbe Creta decem millia paſſuum diſtat, inuaſimus. Multi ex Cretenſibus, qui pro certo habuerant noſtram nauim Octobri proximo menſe mari abſorptam fuiſſe, ſimulq; cum ipſa aliquot Cretenſes Caloyeros nobiſcum nauigantes, noſtro aduentu, tanto ſunt affecti gaudio, ut ipſorū lætitiam publicis cam-

panarum

panarum ſonis in templis per multos dies publice manifeſtarent. ubi vero Cretæ multis diebus moram traximus, inter initia menſis Martij, vt noſtro longiſsimo itineri finem tandem imponeremus, vela rurſum ventis dedimus, in altumque nauim Circio vento, qui leniter ſpirabat, aduehi permiſimus, cæterum tertia die Auſtrinis ventis rurſum vehementer exortis, retrogreſsi in portum Standiam applicuimus, ab eaq; noua procella ſalui fuimus, diſtat & hic portus ab vrbe decem millia paſſuum. Ibique tribus peractis diebus, orto Sole, ab eo portu nauim ſoluimus, Argeſtiq; vento, & Fauonio impetuoſiſsime ſpirantibus, mare mediterraneum ingredimur, in ipſoq; procelloſa nauigatione vtentes duorũ dierũ ſpatio Alexandriam procul inſpeximus, ingentiq; omnium gaudio iter noſtrum tunc finem habiturum ſperauimus, neque nos noſtra decepiſſet ſententia, ni ventus ille non modo omnem ſubito furorem dimiſiſſet, verum penè omnino ſiluiſſet. Mare etenim quam citò ventis omnibus caruit, adeoque ſiluit, vt nauis vlterius progredi non potuerit, ob maximam eius tranquillitatẽ, à qua ualde pertimuimus, ne ab ipſa alia noua tempeſtas oriretur, noſtrique itineris finem, quem oculis proſpiciebamus, prohiberet, & in alia grauiora maris pericula nos inijceret. At Dei optimi maximi voluntate factum eſt, vt ope triremis Præfecti Alexandriæ, quem Sangiac appellant, in portum nauis duceretur, & die xvij. menſis Martij finem longiſsimę noſtræ nauigationi imponeremus. Alexandriæ uerò Cayri ingenti graſſante peſtilentia vſque ad Iulium menſem manſimus; cuius menſis initio per Nilum flumen nauigantes, Cayrum venimus. In qua vrbe tribus annis, & adhuc amplius moram traximus. Tandemque hoc anno MDLXXXIIII. Aegyptijs littoribus relictis, naui Balbiana vocata, menſibus Octobri, atque Nouembri tantum nauigantes, Deo ſumma pietate patriæ redditi ſumus. GVILAND. Omnia certe maris itinera in ſummo periculo verſantur, quando nauigantium vita, quia proxima eſt mari, proxima ſemper exitio ſit dicenda, atque etiam quod ſpes proſperi itineris in aeris inconſtantiſsimam naturam referatur. Verum ne te pigeat hęc atque illa paſſum fuiſſe, quoniam fortaſsè hæc olim te meminiſſe iuuabit. Apprime iucundum ſemper exiſtimaui, hominem poſſe dicere, hæc atque illa ſum paſſus, ſiquidem eorum euentuum memoria hominem alacriorem ad ferendos fortunæ caſus, prudentio-

rem

remq; efficit. Sed his omissis age quæso, quid tu tandiu in Aegypto fecisti, quibusvè studijs animum toto illo tempore oblectasti? Neque enim eum te esse arbitror, qui non egregium aliquod nobileque studium sis ibi prosecutus, quando credendum est, plurimas easdemque pulcherrimas tibi non defuisse occasiones, quibus aliquid te ipso dignum in re medica meditari potuisses.

ALPIN. Quid facerem ociosus toto illo tempore in Aegypto? nisi apud eam gentem qualis exerceretur medicina, atque quales plantæ in eo solo nascerentur dignoscere operam darem, ne saltem diceretur noctu me Aegyptum adijsse, per id temporis, quo ibi moram traxi, publice medicinam exercẽdo, apud illos medendi vsitatum modum discere studij. Et quod temporis etiam ab eo studio atque ægrotorum curis mihi supererat id ponebam, vt tu ex me quoque audisti, in opere de præsagio medicorum multis iam ab hinc annis a me incepto. GVILAND. Gaudeo te operam Aegyptiorum medicinæ cognoscendæ sic dedisse, ut apud illos frequentatum medendi modum, atque ipsorum vsitata medicamenta planè, animaduerteris, & didiceris. Quæ omnia cum adprime sint digna, quæ à nostris medicis cognoscantur, te nunc obnixe rogo, hisce diebus, quibus Patauij commoraberis, ne graue sit tibi, mecum de his, in hoc viridario loqui, præsertim uero de morbis illi populo familiaribus, deque ipsorum medendi vsu, atq; demum de plantis ibi nascentibus, sic enim in his æstiuis caloribus sub gratissimis huiusce viridarij vmbris tempus cum virtute consumere nobis iucundissimum fore existimo. ALPIN. Dabo equidem operam libentissime, vt non in hac re solum, verum in omnibus alijs tuæ obsequar voluntati, quamquam nullam unquã tuorum meritorum partem ego assequi valeam. Idq; libentius faciam, quod plurimum emolumenti me sperem ex hac nostra collocutione pro tua doctrina, & humanitate consecuturũ. Solem vero cum nunc videam penè in Occasum descendisse, fortasse prestiterit loquendi principium in proximam diem remittere. GVIL. Rectè sanè, ego uero vix aurora expectata me in viridariũ cõferam, teq; vt quamprimum venias etiam atq; etiam oro. ALPIN. Perplacet, sed tempus est, ut abs te nũc abeam, meq; à multis meis negotijs nunc expediã, ut mane quàm diluculo ad te redire possim. interea vale. GVILAN. Quando apud me esse nolis, vt lubet, ut ante noctem tuis functus negotijs, mane redire possis abi felix.

PRO-